



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum ordinati debeant tonsuram deferre? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

rasuram, & tonsuram?

¶ Secundo, vtrum corona sit ordo?

¶ Tertio, vtrum per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis?

¶ Quarto, vtrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas episcopalis?

¶ Quinto, vtrum episcopatus sit ordo?

¶ Sexto, vtrum supra Episcopos possit esse aliqua potestas superior in Ecclesia?

¶ Septimo, vtrum vestes ministrorum conuenienter sint in Ecclesia institutæ?

ARTIC. I.

Vtrum ordinati debeant tonsuram deferre?

163

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod ordinati non debeant coronæ rasuram habere. Quia Dominus comminatur captiuitatem, & dispersionem his qui sic attenduntur: vt patet Deut. 32. De captiuitate nudati inimicorum capitis: & Hier. 49. Dispergamus eos in omnem ventum qui sunt attonsi in comâ. Sed ministris Christi non debetur captiuitas, sed libertas. Ergo coronæ rasura & tonsura eis non competit.

¶ 2 Præterea, Veritas debet respondere figuræ. Sed figura coronæ præcessit in veteri lege in Nazaræorum, sicut in littera ¶ dicitur. Cum ergo Nazaræi non essent ordinati ad ministerium diuinum, videtur quod ministris ecclesie non debeatur tonsura vel rasura coronæ. Et hoc etiam videtur per hoc, quod conuersi, qui non sunt ministri ecclesiæ, tondentur in religio-

¶ 3 Præterea, Per capillos superflua significantur quia capilli ex superfluis generantur. Sed ministri altaris omnem superfluitatem à se debent expellere. Ergo totaliter debent caput radere, & non in modum coronæ.

SED contra, Quia secundum Greg.* seruire Deo preparare est. Sed corona est signum regni. Ergo illis,

Tho. 4. d. 24. q. 3. art. 1. 2. ¶ 3.

† lib. 4. sent. d. 24. §. B. à me dio ex Isidoro lib. de officijs eccl. 4.

* citatur à Mag. 4. sent. d. 24. §. B. ante med. ¶

tale quid hēt Chrysost. in illud dictū Ioan. vos qui amici mei,

10. 39

illis, qui ad diuinum ministerium applicantur, corona competit.

¶ Præterea, Capilli in velamen dati sunt, ut patet 1. Cor. 11. Sed ministri altaris debent habere mentem reuelatam. Ergo competit eis rasura coronæ.

RESPONDEO dicendum, quod eis, qui ad diuina ministeria applicantur, competit rasura & tonsura in modum coronæ, ratione figuræ: quia corona est signum regni & perfectionis, cum sit circularis. Illi autem qui diuinis ministerijs applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione diuinorum retardetur: & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obuoluantur.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus conuincitur illis qui hoc ad cultum dæmonum faciebant.

Ad secundum dicendum, quod ea quæ fiebant in veteri testamento, imperfectè representant ea quæ sunt in nouo: & ideo ea quæ pertinent ad ministerium noui Testamenti, non solum significabantur per officia Leuitarum, sed etiam per omnes illos qui aliquam perfectionem profitebantur. Nazaræi autem profitebantur perfectionem quandam in depositione coronæ, significantes temporalium contemptum: quoniam non in modo coronæ deponerent, sed omnino totum, quia nondum erat tempus regalis & perfecti sacerdotij. Et similiter etiam conuersi tondentur propter renuntiationem temporalium, sed non raduntur, quia non occupantur diuinis ministerijs, in quibus diuina oporteat eos mente contemplari.

Ad tertium dicendum, quod non solum debet significari temporalium abiectio, sed etiam regalis dignitas in forma coronæ: & ideo non debet totaliter corona tolli; & etiam ne indecens videatur.

Conc. Tol.
leta. 4. r.
40.

† ut exponit Mag.
loco nota
so in ar.
gum 2.